

C V I S

1 6 3 6






- I Joh
- I Iohannis Langen tractatus duo unus de exceptionibus alter de  
quæstionibus
  - II Andrea Knichen avtoris
  - III De Iuramentis in genere D. Kremsbergii
  - IV De Mutuo D. Grossii
  - V De Iuramento Judiciali D. Kremsbergii
  - VI De iuramento testimonii et purgationis D. Kremsbergii
  - VII De Engli venditi conuicti D. Carpzovii
  - VIII De Usuris D. Gratoni
  - IX De pignoribus et hypothecis D. Carpzovii
  - X De heredo L. Avenarii
  - XI De Furtis D. Gratoni.

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Ma. 24.













































7

VII  
DISPUTATIO JURIDICA  
*De*  
EMPTI-VENDI-  
TI CONTRACTU,

*Quam*  
DEO ter Opt. ter Max. adjuvante  
*Consensu & Autoritate Magnifica Nobilissima  
& Amplissima Facultatis Juridica*

*Sub*  
PRÆSIDIO  
*Amplissimi, Consultissimi, Excellentissimi*  
VIRI

DN. CONRADI CARPZOVII J.U.D.  
Profess. publ. Curiã Provinc. Consistorii Ecclesia-  
stici, Facultatis Juridicã, VVittebergæ; & Electoralis, per  
inferiorem Lusatiam, judicii, Adessoris &c. gravissimi, p.t. DE-  
CANI spectatissimi, Præceptoris & Promotoris perpetuâ  
animi observantia reverenter prosequendi,

IN  
Electoralis ad Albim Academia  
*Examini publico subjiciet*  
FRANCISCVS Schaper/  
BRUNSVICENSIS,

*Ad diem 4. Januarij, In Audit. ICtorum.*

~~~~~  
WITTEBERGÆ,  
Charactere JOBI WILHELMI FINCELII,

ANNO 1630.



D I S S E R T A T I O J U R I D I C A

E M P T I - V E N D I

T I C O N T R A C T U

O M N I U M

D E O t e r O p t t e r M a x a d j u v a n t e  
C o n s e n s u a t e M a g n i f i c e N o b i l i s s i m a  
& A m p l i s s i m a F a c u l t a t e J u r i d i c a

S U B

P R A E S I D I O

A m p l i s s i m i C o n s u l t i s s i m i E x c e l l e n t i s s i m i

V I R I

D O C T O R I S C O N R A D I C A R P O V I I J . U . D .

P r o f e s s o r i p u b l i c o C u r i e P r o v i n c e C o n s u l t o r i E c c l e s i a e

f i c i F a c u l t a t i s J u r i d i c a e V i t t e b e r g e & E l e c t o r a l i s p e r

i n f e r i o r e m L u s a n i a m J u d i c i i A d e s s o r i s & g r a v i s s i m i p . r . D . E .

C A N I p r e c e p t i s s i m i P r a e c e p t o r i s & P r o m o t o r i s p e r p e n a s

a n i m i o b s e r v a n t i a r e v e r e n t e r p r o t e p u a n d i

I N

E l e c t o r a t u a d A l t e r a A c a d e m i a

E x a m i n i p u b l i c o J u r i d i c a e

F R A N C I S C U S C O P P E R

B R U N S V I C E N S I S

A d d i e m 4 J u n i j I n A n n o 1730

W I T T E B E R G E

C h a r t e r i J o b i W i l h e l m i F i n c e l i i

A N N O 1730







DISPUTATIO  
DE  
EMPTIONE ET  
VENDITIONE.

THESIS I.

*Emptio-venditio est contractus alienationis, quem  
persona apta, de re certo precio habenda inter se  
ineunt.*

ANALYSIS.

**D**isputationem in genere omnem rectè à definitione in-  
cipere inquit *Cic. 1. offic.* quare & nostram meritò ab eà  
auspicamur. Attamen quia illa se extendit latissimè,  
unà hac thesi illam absolvere, nec necesse, nec possibile  
est. Opera pretium proinde facturi videbimur, si longius eam in  
subsequentibus persequamur. Id tamen hic loci quin attinga-  
mus intermittere nolumus, quòd propter summam utilitatem,  
quam generi humano affert, cæteris contractibus præferatur, il-  
losq; longo post se intervallo relinquat.

PORISMATA.

I. Contractus empti-venditi, cæteros inter  
omnes princeps est.

I. Propter locum quem ipsi Imperator attribuit. Contractus  
enim consensuales recensens ipsi primum assignat. *pr. Inst. de ob-  
ligat. l. consensu 2. ff. de O. & A.* II. Propter maximam in Repu-  
blica necessitatem, de qua in *l. 1. ff. de contr. empt.* disseritur.

III. Propter



III. *Propter singularē utilitatē.* Quamvis contractus in universum omnes ad finem benefaciendi pertineant, tamen in hoc quin hic ceteros antecellat nulli dubitamus: siquidem illa uberrimè comprehenditur in eius commoditate, cum nullo aptiori medio res inter homines communicari possint quam pecuniâ, circa quam emptio-venditio versatur. Ex quo elucet quid sentiat *Eccl. c. 10. v. pen.* quando dicit, Pecuniæ obediunt omnia.

II. Emptor præfertur conductori, ut etiam ipsum expellere possit, id est, *Kauff gehet vor miethē.*

Quicumq; nullum jus habet in re, ille ex re potest expelli. Atqui conductor, re vendita nullum jus habet amplius in re: namq; soluto jure dantis solvitur & jus accipientis, *arg. l. lex veditigali 31. ff. de pigno.* E. Nec etiam stare tenetur emptor pacto locatoris, nisi sic fuerit conventum *l. emptorem 9. C. locat. cond. § l. si merces 25. §. 1. ff. locat.* quæ lex non tantum loquitur de colono, sed & quovi. habitatore. Deniq; quia actio ex hac causa conductori adversus locatorem conceditur *d. l. si merces. 25. l. in lege 24. § colonus 4. l. qui in sulam 3. ff. locat.* quæ alias non competeret. *Hill. in Don. enucl. l. 13. c. 7. l. h. in not. Moll. 4. semest. c. 14. Col. decis. 8. n. 18.*

## THESIS II.

*Tota generalis definitiva oratio in subiectum seu definitum & prædicatum seu ipsam definitionem distribuitur. Subiectum est emptio-venditio: circa quod tria occurrunt notanda. 1. Definitio nominis. 2. Etymologia. 3. Homonymia. Definitio nominis est quæ explicat significationem nominis. Est q; duplex: una Emptionis, altera Venditionis.*

De



De definitione nominis hanc ob causam hic agimus, quia plerumq; ab authoribus cum Etymologia confunditur, cum tamen sint diversissima. *Est itaq; Emptio vox significans actionem, qua rem sub certo precio nobis comparamus.*

*Venditio verò, est vox significans actionem, qua rem sub certo precio alienamus. Quæ facta non sunt confundenda, nec unum pro altero sumendum: namq; vicissitudinarius ille verborum usus abhorret à proprietate, usu juris & veritate ipsa l. 1. ff. de rer. permut.*

## PORISMATA.

### I. Perperam asseritur usu juris Emptorem pro Venditore & vice versa sumi.

Promiscuus appellationem usus, *de quo in l. veteres 19. ff. de act. empt. agitur*, non in eo consistit, quod unum pro altero, sed pro utroq; alterutrum sumatur, scilicet ut totum emptio itemq; venditio significet contractum, ex natura relatorum, quorumposito uno necessariò ponitur & alterum. Quemadmodum actio ex empto dicitur quæ datur venditori, non quod re vera ipsi illa competat, de qua dicitur *infra ð. 14.* Sed quoniam vocabulum emptionis totum denotat contractum, ex data relatorum ratione. *l. Julianus 13. §. procurator 25. ff. de act. empt. manent enim hæ actiones & sunt distinctæ l. ex empto 12. ff. b. t. Joan. Bapt. Plot. in tr. ad l. si quando. C. unde vi. §. 5. n. 6. Bach. ad Treutl. vol. 1. disp. 28. ð. 1. l. 2.*

### II. Multò minus locator pro venditore & conductor pro emptore est sumendus.

Maxima namq; inter hos est differentia: Locator tantum transfert usum, Emptor etiam dominium *l. ex empto 11. ff. de act. empt.* Nec huic sententiæ nocet *l. liberto 21. in pr. ff. de ann. legat.* quia ibi emptores fructuum colonis junguntur, non confunduntur: imò per vocabulum *vel* expressè discernuntur. Nam & fructuum emptionem esse liquidò constat *ex l. nec emptio 8. ff. b. t.*



### THESIS III.

*Etymologia est qua originem vocis tradit: seu, est resolutio vocis ex proprio significato verbi. De hac autem sciendum est, illam velesse Græcam vel Latinam.*

Etymologiam ita definit Baldus *in l. non sine §. C. de bon. qua liber.* Deducitur autem Græca ab ἐμὸν, si Forstero *disp. 18. §. 1. post. Robert. 1. animad. 8. & Connan. 7. comm. 6.* credimus, ex eo, quia semper in emptione agitur ut res mea fiat. Veteres namq; teste *Festo lib. 1.* emere pro sumere & accipere sumpsisse perhibentur. Unde factum, secundum Varronem, ut omnis acquisitio emptionis verbo comprehensa sit: nec interfuisse quocunq; genere quid cuiusquam fieret, modò eo animo acceptum esset ut haberetur. Latina est ex duabus emptionis & venditionis vocibus, quarum illa ab emo, hæc à vendo derivatur: quasi dicatur id emo quod venum datur. Est enim emo, quasi è tuo meum facio. Vendo, quasi venum do, quia res traditione ad emptorem pervenit. Vendo autem deducitur à venio, unde fit venum, quasi venium. A quo fit venundo, quasi id in quod venimus: de hinc venundatio, quæ est rerum permutatio & contractus ex conventionem proveniens. A venundo, detractis duabus literis, fit vendo, quod est significationis eiusdem, & huc spectat.

### PORISMATA.

**I.** Contractus emptionis-venditionis non incommodè inscribitur vocabulo alterutro.

Quia hic contractus fundatur in prædicamento relationis, relata autem se mutuo ponunt, quemadmodum *in porif. 1. §. 2.* dictum est.

**II.** Nec refert an vocabulum emptionis-venditionis scribatur divisim, an verò conjunctim.

Con-



Conjunctim namq; potest scribi, quatenus negotii sive contractus designat unitatem: divisim, quatenus contractus duorum voluntatibus & inde sequentibus factis, in analysi distinguendis, constat. *Treutl. vol. 1. disp. 28. §. 1. l. a. & disp. 29. §. 1. l. a. in fin.*

## THESIS IV.

*Homonymia est quæ distinguit ambiguitatem vocabuli. In cujus consideratione offerunt se dua significationes: una Lata, altera stricta.*

Etymologiam excipit Homonymia, quæ duplex est. Lata quando emptio-venditio pro omni sumitur alienatione, sive illa fiat permutatione, sive quovis alio modo: quæ vocis significatio ex primævo ortu, itemq; ex ll. XII. tab. originem duxit, *l. statu liberi 29. §. 1. ff. de stat. lib. l. veteres 19. ff. de act. empt. l. sicut 8. §. venditionis ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol. Connan. 6. comm. 7. n. 1. Wesenb. in w. h. t. n. 1.* ubi omnes fermè contractus per emptio-nem, sive veram, sive imaginariam, celebrabantur. *Hillig. in Don. enucl. 6. c. 6. l. c. Vult. l. 1. c. 35. J. R.* Stricta est, quando in specie pro empti-venditi contractu ponitur. Licet enim prioribus seculis, latè ita usi fuerint emptionis voce, seculi tamen infrequentibus generis vocem ad certam revocarunt speciem. *l. 1. & ult. ff. de rer. perm. l. fin. C. de pact. Muda. ad Rubr. h. t. n. 10.*

### PORISMA.

#### I. Nomine venditionis hodiè non omnis alienatio venit.

Opponitur enim venditio alienationi in *l. fin. C. de pact. int. empt. & vend.* quod negari nequit. Aut si id negatur, concedendum erit ibi tautologiam commissam esse, verbumq; alienationis abundare, quod an concedendum, valdè dubitamus. Deinde ob diversas definitiones, competit namq; alia permutationi, alia venditioni & cuivis aliæ alienationi, *vid. l. 1. ff. de cont. empt. & l. 1.*



*ff. de rer. perm.* Deniq; hoc probatur *per tex. expr. in l. si pupillo-  
rum 7. §. si Prætor 3. ff. de reb. eor. qui sub tut. sunt.* ubi dicitur, quod  
non valeat, si quid actum est contrarii: Prætor autem ibi vendere  
permisit non obligare.

## THESIS V.

*Prædicati locum obtinet vox contractus: ubi notan-  
dus conceptus convenientiæ & disconvenientiæ.  
Ille comprehendit genus, quod duplex est: proxi-  
mum & remotum, proximum est contractus, re-  
motum consensus.*

Absolutum definitionis subjectum sequitur nunc in ordine  
prædicatum, cujus divisionem in  $\theta$ . vidimus.

Ratio autem istius distributionis est, quod quædam hic oc-  
currant quæ utriq; personæ æqualiter, quædam verò quæ inæqua-  
liter competunt. Æqualiter quæ competunt includuntur voca-  
bulo generis, quod utramq; personam æqualiter respicit. Nam  
si alteruter contrahentium in unum numero contractum non con-  
sentit, nec in eadem re convenit, imperfectus & nullus est contra-  
ctus *l. in venditionibus 9. l. etsi 15. ff. de cont. empt. Cuiac. 3. obs. 4.  
l. si sterilis §. quamvis ff. de act. empt.* Hac sub  $\theta$ . proximum tan-  
tum genus, quod exprimitur voce *contractus* pertractabimus.  
Consideratio contractus est duplex: *primò* in se & sua natura,  
*secundò* sub differentiâ generica. Illo modo sumitur latè, com-  
petitq; omnibus omninò contractuum generibus & definitur  
quod sit *conventio cum causa l. 1. §. conventionis. & l. juris gentium 7.  
ff. de pact.* *Molina. in rubr. n. 46. V. O.* Hoc modo ascribitur  
in specie empti-venditi contractui, definiturq; per differentiâ  
genericam alienationis, quæ generis limitatio ab effectu, quem  
respicit, est desumpta. Etenim cum contractus vel sint unionis  
vel alienationis, ad alterutrum horum hunc referre fas erit. Sed  
unionis non est, ergò alienationis. Videmus namq; utramq;  
personam hoc agere ut alienet, rem venditor, pretium emptor,  
nec.



nec ullo modo intendere ut rem cum pretio, vel pretium cum re  
 jungat. Et hoc probatur verbis expressis in *Novell. 7. c. 1. vers.  
 alienationis autem.* Notandum quod contractus vox, quatenus  
 competit emptioni-venditioni variis modis limitetur. Vocatur  
 enim Emptio-venditio contractus Jurisgentium. *l. ex hoc 5. ff. de  
 J. & J. l. 2. in fin. ff. b. t. l. jurisgentium 7. ff. de pact. Arius Pin. ad  
 l. 2. C. de resc. vend. p. 1. c. 1. n. 8.* Nominatus. *Wesenb. in w. b. t. n.  
 2. d. l. 7. ff. de pact.* Cujus notæ sunt, ut refert *Gædd. de contr. stip.  
 c. 1. n. 49. & seqq.* I. ut peculiare nomen inditum habeat, nec in  
 generis appellatione subsistat. II. ut certus eius ac determinatus  
 sit finis, nec confusa generis forma contentus, ut permutatio. *adde  
 Vasq. 3. contro. 59. n. 4. & seqq. Vult. ad S. ult. Inst. de mandat.  
 Bonæfidei l. 1. & 3. ff. b. t. S. actionum Inst. de act. l. 56. ff. b. t. & l. 2.  
 ff. de O. & A.* Ultrò citroq; obligatorius *l. 19. ff. V. S.*

### P O R I S M A.

#### I. Princeps æquè ex contractu cum subditis in itò obligatur ut privatus.

Textus est in *c. unic. l. 1. de nat. feud.* Deindè quia à natu-  
 ræ & gentium jure Princeps liberam & absolutam potestatem  
 non habet: ratio est quod illa jura divina providentia sunt consti-  
 tuta *S. pen. Inst. de J. N. G. & C.* Insuper per *l. prædia. fin. C. de locat.  
 præd. civ. id* probatur, ubi Imperator sancivit contractum perpe-  
 tuò firmum manere, quocunq; etiam titulo, sive donationis, sive  
 venditionis, ab Augusta domo quidquam ad aliquem pervenerit.  
 Deinceps hoc asserendum non est propter maximum illud absur-  
 dum quod inde sequeretur. Princeps si pacto contractus non  
 obligaretur, nemo qui cum ipso contraheret facile reperiretur:  
 ex quo flueret ipsum tandem omnium rerum commercio privari,  
 omniumq; constitui exulem, qui omnium erat præsul. *Bald. in  
 l. princeps. n. 3. & ibi Zas. n. 6. ff. de ll. Reinkingt de regim. sec.  
 & eccl. l. 2. cl. 1. c. 2. n. 5.* Quod de Principe affirmare infandum  
 & abominabile est. *arg. l. hi qui. S. quos etiam. C. de Apost.* Deniq;  
 non licet sub publicæ auctoritatis prætextu fidem fallere, pactavè  
 negligere. *l. 1. ff. de pact.* Postremò militat pro hac sententia *l. di-*



*gnavox 4. C. de ll. Stant ab hujus sententiæ partibus. Geil. 1. obs. 41. n. 4. & lib. 2. obs. 55. n. 7. Vasq. lib. 1. illust. qq. c. 3. & 4. n. 10. & seqq. c. 26. n. 15. & lib. 2. c. 51. n. 29. & Dd. alij.*

## THESIS VI.

*Genus remotum comprehendit vocula consensus:  
Qui aut coactus aut liber est.*

Dictum fuit, genus aliud proximum esse aliud remotum: quia autem de proximo actum est, sequitur nunc & remotum. Exprimitur genus remotum voce *consensus*, quod idem est ac simul *sensus*, quia vocula cum in compositione ita sumitur, ut vulgò notatur in *l. 1. ff. de pact. Vasq. 2. illust. cont. 62. n. 9.*

Consensus alius est *liber*, alius *coactus*, utrumq; paucis per-  
lustrabimus. *Coactus consensus est consensus qui vi metuvè à per-  
sona de re certa extorquetur.* Sciendum est nos hic loqui de actu  
voluntatis imperato, ut Philosophi vocant, non verò elicitò: hic  
enim citra contradictionem non potest dici coactus. Et ille  
consensus à contractibus debet esse remotus, idq; non injurià:  
quippe cum tota contractus essentia in consensu consistat, meri-  
tò requiritur ut sit liber. Etsi enim alias regula illa in quibusdam  
sibi locum vindicet, quod coacta voluntas habeatur pro voluntate,  
tamen ad contractum hunc applicanda non est, quia planè libe-  
rum requirit consensum ut dicitur in *θ. proximè subsequente.*

Nec hæc assertio fundamentis juris destituitur: reperitur  
namq; legibus cautum, quod nemo invitus cogi queat ad emen-  
dum, quare ratio ipsa postulat quod & nemo regulariter cogi de-  
beat ad vendendum. *l. invitus 11. l. dudum 14. C. h. t. l. nec emere.  
C. de jur. delib. l. nec quasi 70. ff. de R. V. l. id quod 11. ff. de R. l. l.  
nemo 9. C. de Juda. l. non enim 9. ff. de act. rer. amot. Covar. 3. var.  
resol. 14. n. 1. Myns. 5. obs. 27. Bronch. c. 1. ass. 63. Hæn. disp. 16. θ. 5.*  
Regulariter dicimus, quia quidam casus excipiuntur, quibus ven-  
ditio coacta permessa censetur. Ut si quis testamento jussit rem  
vendere *l. etsi æquo 66. ff. de leg. 1. si sit rei communiõ l. Julianus  
13. §. 17. ff. de act. empt. si annonæ inopia premarur civitas. l. omnia  
omnino*



omnino 1. §. una 11. ff. de off. pref. urb. l. 1. C. de Episc. aud. ibiq. Legista communiter: quem casum præ cæteris memorabilem dominos Assessores in Imperiali Camera judicando amplexos fuisse refert Myns. d. obs. si pater filium vendiderit l. fin. C. de patr. qui fil. distrax. si dominus nimia in servos usus fuerit sævitia §. sed hoc. 2. Inst. de his qui sui vel alien. jur. & similes casus, qui hinc inde apud Authores inveniuntur, ubi possunt videri. Veruntamen notandum quamvis hisce & similibus casibus permilla sit coacta venditio, nihilominus tamen illam pro moderamine requirere justam pretium per l. venditor 13. §. 1. verb. nec publico nomine potest, junctis verbis, nisi prius solitum domino præstet salarium ff. de comm. præd. l. 2. C. pro quib. caus. serv. pro præmio libert. accip. l. fin. C. de annon. arg. l. si quis 12. in pr. ff. de relig. & sumpt. fun. Vult. lib. 1. c. 35. J. R.

## PORISMATA.

### I. Contractus bonæ fidei vi metuvè initus est ipso jure nullus.

Quoties pactum bonis moribus contrariatur & à jure communi est remotum, & generaliter quotiescunq; contractus fit lege prohibente, toties est ille ipso jure nullus. l. generaliter 26. ff. V. O. l. si unus 27. §. 4. ff. de pact. l. non dubium est 5. C. de ll. Atqui vi metuvè contractus initus contrariatur bonis moribus, & est à jure communi remotus, fitq; lege prohibente. l. nihil. 116 R. I. l. 1. C. de resc. vend. l. 1. & t. t. ff. quod met. caus. l. pacta quæ contra. 6. C. de pact. Ergò.

### II. Nec confirmatur talis contractus quamvis juramenti religio accesserit, de Jur. Civ.

per l. jurisgentium 7. §. 16. ff. de pact. & Auth. Sacramenta puberum. C. si advers. vend.

### III. An verò de Jure Canonico valeat magis dubitatur.

Nos tamen nec de hoc jure illum confirmari, etiamsi vel maximè juramentum accesserit, certis fundamentis affirmamus.

I. Illa



I. Illa demum juramenta quæ sponte absq; vi & dolo præstita sunt  
servantur *c. quamvis 2. de pact. in 6. c. licet mulieres 8. de jurejur. in 6.*  
II. Jusjurandum recipit omnes qualitates & conditiones istius  
actus cui adjicitur *l. fin. ibiq; Dd. C. de non num. pec.* III. Omne  
juramentum debet habere tres comites: veritatem, judicium &  
justitiam *c. de etsi Christus 26. de jurejur. neq; iniquitatis debet  
esse vinculum c. quanto personam 18. de jurejur. c. inter cætera 22. q. 4.*  
nam si quidquam agitur, quod delinquendi occasionem præbet,  
sub specie juramenti, id servari non debet. *c. 1. cum seq. per totam  
illam causam 22. q. 4. c. si diligenti 12. de for. compet.* Et hinc Ger-  
manorum dimanavit diverbium **gezwungen Eydt ist Gott  
leyde.**

IV. Princeps ex potestatis plenitudine subditum invi-  
tum cogere non potest ut sibi rem, non refusò ju-  
stò pretiò, vendat.

Cum ea omnia quæ de absoluta Principis potestate enume-  
rantur ita sunt accipienda, ut eius dignitatem & existimationem  
non lædant, quippe quod inhonesta illicitaq; velle & elegisse non  
præsumatur. *c. si quando 5. in fin. de rescript. l. etsi legibus C. si contr.  
jus vel util. publ. arg. l. nepos 125. in fin. ff. V. S.* Quia & leges be-  
nignius interpretandæ sunt ne quid absurdi oleant. *l. 18. ff. de ll.*  
Deinde cum ipsi Principes se legibus alligatos fateantur, non qui-  
dem ex vi ipsarum simplici, sed ex Principum placito. *l. digna vox  
C. de ll.* Atqui id quod Principibus placet legis habet vigorem.  
*l. 1. ff. de const. princip.* E. non absurdè & hoc placitum pro lege  
erit observandum. Quin imò talis potestas tyrannica potius vo-  
canda, quam Imperatoria, ut præclarè admodum Geil. post. *Zaf. 2.  
obs. 56. n. 9.* admonet, hisce verbis: *scio boni Principis potestatem  
ad tutelam subditorum & ad justitiam asserendam esse amplissimam:  
cæterum ut injuria subditis fiat, illic Principis potestatem non agnosco,  
sed tyranni.* Id enim tantum posse dicimur, quod honestè possu-  
mus. *tex. in c. fin. in fin. de rescr. in 6.* & quæ facta lædunt pietatem,  
existimationem & verecundiam nostram, ea nec facere nos posse  
credendum est. *l. filius qui fuit. 15. l. condiciones 9. l. condiciones 14.  
ff. de cond. instit.*

THE.



## THESIS VII.

*Liber consensus proprio animi motu de re aliqua deponitur; & est duplex: directè liber & indirectè liber.*

Quæ de consensu coacto proposita sunt sufficiant, progredimur nunc ordine ad alterum consensus membrum. Maximè autem requiritur consensus liber, cum tota empti-venditi substantia super consensu sit fundata. *per tit. Inst. de oblig. que cons. perfic. l. si stipulor 35. §. fin. ff. V. O.* nihilq; amplius ad ejus perfectionem requiratur. *pr. & §. 3. Inst. h. t. Wesenb. in w. h. t. n. 5.* Licet ad actionem efficaciter intentandam necessum sit ut offeratur pretium: iniquè siquidem alias quis peteret ex contractu, quem tamen nec ipse implevisset. *l. Julianus 13. §. offerri. ff. de act. empt.* Notandum hic, quamvis emptio-venditio reverà consensu perficiatur, nihilominus tamen contrahentibus interdum in scriptis contractum perficere placere: quod si factum fuerit, placitis omninò standum esse putamus, nec quicquam antea dici perfectum, quam si instrumentum cum omnibus requisitis in mundum fuerit redactum. *Azo in summ. b. t. n. 14. l. contractus 17. C. de fid. instr. pri. Inst. h. t.* quam emptionem cum *Oldend. cl. 4. act. 1.* non puram vocamus, cum illa tantum pura vocetur, quæ nudo consensu perficitur. Est autem consensus directè liber, qui proprio animi motu, de re certa, deponitur, ad id, ut quis rem vel precium dare vel accipere velit. *arg. l. cum in 36. ff. h. t. & l. si alienationis 3. C. eod.* Indirectè liber consensus est qui proprio quidem animi motu, sed non de re certa deponitur: qualis error, qui vitiat emptionem *l. si per errorem 15. ff. de jurisd. & l. consensisse autem 2. ff. de judic.* Enimverò quia aliter atque aliter inter errorem à *Dd.* distinguitur, non abs re facturi videbimur, si huc eum referamus, & quam fieri potest commodè distinguamus. Facimus ergò cum *Vulteio l. 1. c. 35. J. R.* errorem alium nominis, alium rei. Nominis error nihil prorsus obest emptioni: ratio, quia nomen neq; substantiam rei constituit neq; immutat. *l. in venditionibus 9. §. 1. ff. h. t. l. si in judiciis 80. ff. de judic.*

C

dic.



*dic. l. si in nomine 32. ff. V. O. l. si quis 27. ff. de reb. dub. Peck. de testam. conjug. lib 1. c. 16. n. 1.* Atqui verò emptio est rei, non nominis. E. Rei error subdistinguitur: committitur namq; ille vel circa substantiam, seu ipsum rei corpus, vel circa substantiæ qualitatem *d. l. in venditionibus 9. ff. de contr. empt.* Circa substantiam quando offenditur, tum illud fit vel respectu totius corporis, quatenus & materia & forma in considerationem veniunt: vel respectu materiæ tantum. Ille error seu dissensus, qui circa totum corpus fit, requirit corporum pluralitatem, vitiatq; omninò emptionem *l. in omnibus 57. ff. de O. & A. d. l. 9. ff. b. t. ubi Wes. in τ. n. 5. & Dd. alii videantur.* Circa materiam quando offenditur, tunc illud fit vel omnimodo, vel aliquo modo. Omnimodo erratur, quando nihil materiæ adest, qua pro tamen venditur. Aliquo modo erratur, quando aliquid materiæ adest & aliquid abest, pro qua tamen in solidum venditur. *l. quia tamen 14. ff. de contr. empt. vid. Goedd. de contr. & committ. stip. c. 3. n. 23. & 28. cum duob. seqq. Hæn. disp. 16. θ. 2.* Hinc duas exstruimus regulas: unam affirmativam alteram negativam.

**Error in materia toto genere diversa vitiat emptionem.**  
**Error in materia toto genere non diversa non vitiat emptionem.**

Circa qualitatem substantiæ quando offenditur, tunc nihil obstat, quo minus contractus subsistat, sive ille error committatur in accidentibus omnibus sive aliquibus saltem. *per sapius d. l. 9. ff. b. t. l. ex empto 11. §. 5. ff. de act. empt. l. si quis 52. §. majora 22. ff. de furt.* aut datur emptori contra venditorem actio quanti interest se non esse deceptum. *l. si sterilis 21. §. quamvis 2. ff. de act. empt.* Pervenimus iterum ad consensum, à quo paululum digressi sumus, qui præter id, quod directè liber esse debet, requirit ut sit in negotium præsens directus. Promissio enim seu pactum de contrahendo, non est ipse contractus qui promittitur, *ut docet Bartol. in l. singularia 15. ff. de reb. cred. & in l. si pupillus 21. ubi & alii Dd. ff. ad L. Falc. Goedd. de contr. vel comm. stip. c. 1. n. 35.* Verus per *l. contractus imaginarii 54. ff. de O. & A. l. nuda 55. ff. b. t.* Non simulatus. *per l. si donationis 3. C. de cont. empt. l. cum in venditione 36. ff. b. t. l. sicut emptio*



*emptio 20. §. 1. ff. locat. Mutuus. per l. in vendentis 13. C. h. t. l. quod  
sæpè 35. §. illud constat. ff. eod. Perspicuus & clarus, idq; propter-  
ea, ne obscuritas noceat parti. Et denique perfectus: illi enim qui  
consensus laborant imperfectitudine, ab emptione arcen-  
tur.*

## PORISMATA.

### I. Superveniens Notarii scriptura contractum in scriptis factum, non operatur.

Siquidem id saltem, quod in initio contractus actum est at-  
tenditur: quando itaque partes unanimiter consenserunt. **Und**  
**habensich des Kauffes einhellig verglichen vnd ver-**  
**tragen** perfecta est emptio. Deinde cum nullum accidens rei  
substantiam immutet, & scriptura tantum ob id adhibeatur, ut fa-  
cilius innotescat rei veritas. *l. contractus 4. ff. de pign. & hypoth.*

### II. Obscuritas in contractu emptionis admessa, nocet regulariter venditori.

*l. cum queritur 26. ff. de reb. dub. l. in contrahenda 172. R. I. quia  
plerumque pactum contractui adjicit & legem dicit venditor.  
l. veteribus 39. ff. de pact. ubi pactio obscura nocet venditori & lo-  
catori propterea, quod in ipsorum potestate fuit legem aper-  
tius contractui ponere. l. Labeo 21. l. æde sacra 73. in fin. ff. h. t.  
Non prius itaque contra emptorem interpretatio in contracti-  
bus facienda est, quam si summa æquitatis ratio (quæ in jure  
maximè est spectanda *l. in omnibus. 90. R. I.*) interveniat, quæq;  
rem ad æqualitatem deducendam suadeat, *ut fit in l. comprehen-  
sam 60. ff. h. t.* ubi venditor ex centum doliis dat quæ placet. *&  
l. 34. in pr. ff. h. t.* ubi venditori electio datur potissimum hanc ob  
causam, quod Stichus erat pars pretii, & venditor suam intentio-  
nem in illo fundarat, ubi rei pretium respectu hujus Stichi suffi-  
cere judicaret: nam si & hoc casu contra venditorem judicare-  
tur, ut alium Stictum dare deberet, omninò iniqua inferretur.  
ipsi conditio, à qua jura abhorrent. *l. placuit 8. C. de judic.**



## THESIS IIX.

*Disconvenientiæ conceptus est differentia specifica, cujus partes duæ sunt: nimirum subjectum & objectum. Illud consideratur dupliciter: 1. simpliciter & absolutè. 2. sub limitatione.*

Conceptu convenientiæ absoluto, ad disconvenientiæ conceptum nunc ordine progredimur: qui respicit & subjectum & objectum. Subjectum hujus contractus sunt personæ, objectum sunt res. Agemus hic tantum de subjecto, quod ob duplicem, quem obtinet respectum, dividitur in simplex & limitatum. Subjectum simplex vocatur, quando persona generalius in se & sua natura absolutè, quatenus videlicet homo est consideratur. Subjectum limitatum, seu sub limitatione est, quando persona applicativè & respectu contractus consideratur. Illo modo ad contractum non pertinet: hoc modo utiq;. Consistit autem illa limitatio in aptitudine: quæ vel naturalis, vel legalis. Aptitudo naturalis est facultas quæ natura hominem aptum reddit ad contrahendum. Aptitudo legalis est ratio quæ hominem lege facit aptum ad contrahendum. Et quia contractus sunt de genere permissorum. *Wes. in w. de pact. n. 5. talis exstruenda erit hinc regula.* Omnis persona quæ naturâ apta est ad contrahendum, nec lege prohibetur, illa contractum celebrare potest. *l. mutus 43. §. 1. ff. de procur. Treutl. v. 1. d. 28. th. 3.* Notandum quare hic conceptus sortiatur disconvenientiæ nomen: quia personæ ad contractum accedentes differunt nomine, officio & fine. Una namq; persona venit ad comparandum, altera ad alienandum, una dat precium, altera rem, una emptor, altera venditor appellatur.

## PORISMATA.

Ineptæ personæ ad emendum-vendendum sunt naturâ.

### I. Pupillus absq; tutore.

Quia emptio-venditio est actus obligatorius, in quibus consensus desideratur *l. 1. 2. & 3. ff. de O. & A. l. 1. ff. de pact.* In pupillis autem



autem nullus est consensus, & si quis invenitur, ad contractum tamen ille est imperfectus. Videmus enim ob humorum imperfecti-  
onem & naturæ iudicium animi esse imperfectum, interim tamen  
indies augeri. Quare & hoc optimè sentiens Imperator, præ-  
clare admodum disposuit, quod talis consensus non sufficeret ad  
contractum, sed pro complemento requireret tutoris auctoritatem,  
*pr. Inst. de auth. tut. vers. unde in his causis & c. & §. pupillus 9. Inst. de  
inutil. stipul.* Et pupillus, in ætate illa, nec velle, nec nolle creditur. *l.  
pupillus 189. R. I.*

## II. Infans, etiamsi vel maxime adhibeat tuto- ris auctoritatem.

Infans est qui septimum ætatis annum nondum excessit *l. si  
infanti C. de jur. delib. l. 1. §. sufficit. ff. de administr. tut.* Quem infan-  
tem nec emere nec vendere posse affirmamus, etiamsi accedat tu-  
toris auctoritas: ratio quia ejus ætatis talis est conditio, ut, quid vi-  
det nesciat & ignoret. *l. 1. C. de falsi. monet. nec intelligat quid dici-  
tur. l. mulier 70. ff. de V. O.* Nec multum infantes distant à furiosis  
quia nullum habent intellectum *§. pupillus 9. ver. sed quod Inst. de in-  
ut. stipul.*

## III. Furiosus.

Furiosus est qui rabie quadam animi agitur, distatq; à men-  
te capto, qui magis in quiete est, isq; non obligatur *per l. in negotiis  
5. R. I.* quia illi nulla attribuitur voluntas. *l. furiosi. 40. ff. eod. l. 1. §. 12  
ff. de O. & A. §. furiosus 8. Inst. de inutil. stipul.* & caret mente *§. præ-  
terea 1. Inst. quib. non est perm. fac. test.* durante furore. Intermissioni  
autem tempore, quando major viginti quinque annis, venditio-  
nem & alium contractum rectè inire potest. *l. emptionem 2. C. de  
contr. empt.*

Lege emere-vendere prohibetur

## IV. Minor non adhibita auctoritate curatoris.

Ubicunque enim de re minoris disponitur ibi necesse est ut  
accedat curatoris auctoritas: atqui in emptioe disponitur de



re minoris. E. Major probatur, quia cura est rei *l. 5. ff. de tutel. non personæ*, nisi consequenter, ut tutela §. 4. *Inst. qui test. tut. dar. poss.* Minor sic probatur, quia nulla emptio est nisi sit rei *l. nec emptio 8. ff. b. t. textus est in l. 3. C. de integr. rest. min. vig. quinq. ann.*

V. An verò liceat minori contra emptionis contractum in integrum restitutionem petere, si juramento illum confirmavit, nec tamen adhibuit curatoris consensum, dubitatur.

Nos affirmativæ subscribimus sententiæ, per fundamenta supra *tb. 6. perism. 2. & 3. adducta*. Quibus adjicimus, quòd eadem facilitate, qua inducitur minor ad contrahendum, possit & ad jurandum allici. Qua de causa tale juramentum nihil debet operari per regulam *l. doli 19. ff. de novat.* doli enim ac fraudibus omnibus modis subveniendum est *l. 1. ff. de dol. mal.* Et juramentum est loco accessorii, quod induit naturam sui principalis: cum itaq; principale non valet & accessorium quoque corruere necesse est. *l. si quis 112. §. fin. ff. de leg. 1. l. cum principalis 178. R. I. c. accessorium de R. I. in 6.* Quid de jure divino hac de re statuendum sit, quia falcem in alienam messem immittere præmeditato animo non lubet, relinquimus judicandum Theologis. Poterit tamen cui placet, hac de re videre *Hillig. ad Don. l. 21. c. 13.*

## VI. Prodigus.

Quippe Prodigus comparatur furioso in alienando *l. 3. ff. de novat. l. is. cui 6. ff. de V. O. l. furiosi 40. R. I.* Jam probatum dedimus *perism. 3.* furiosi emptionem-venditionem irritam & vanam esse, propter consensus defectum. E. Intelligimus autem prodigum cui magistratus decreto bonis est interdictum *l. 1. ff. de cur. fur. dat. l. observare 6. l. Julianus 10. l. & mulieri 15. ff. eod. §. item prodigus 2. Inst. quib. non est perm. fac. test.* Etsi autem negare non possimus, prodigum ante declarationem esse revera prodigum, id tamen quo minus sufficiat ad hunc effectum, ut contrahere prohibeatur,



tur, faciunt antea adductæ leges, quæ desiderant civiliter declaratum. Et hoc propter sanam rationem, quia prodigalitas consistit in facto: super factis autem Magistratus cognoscere & pronunciare debet *ut d. l. 1. in verbis hodiè &c. disertè approbat.* Deinde quia in notoriis sententia etiam requiritur *per tex. l. fin. C. de malef. & mathem. Geil. 1. de pac. pub. obs. 3. n. 12. & Bronch cent. 1. ass. 34.* qui tamen unicum casum annotat, quo prodigo ipso iure rei suæ administratione interdicta fuit. *l. si quis 8. ff. pro empt.* ubi quis emerat ab homine luxurioso, dederatque pecuniam, quam ilicò scorto daturum, aut alias turpiter consumpturum sciverat.

### VII. Ebrius.

Ebrium, qui nimio vino obrutus, hunc contractum inire non posse, *sequuti Treutl. v. 1. disp. 6. th. 5.* sub distinctione affirmamus. Ratio est æquissima, quia plerumque dolus intervenit, & præsumitur ille qui contrahit cum ebrio, ad vendendum incitasse, *ut referunt Dd. in l. dolum. C. de dol.* Quare & Plato *l. 1. de legibus*, ebrium comparat puero, quod cum illo quasi cum puero ludatur & agatur. *Hillig. ad Don. lib. 12. c. 22. l. c.* Deinde nescit, qui nimio vino sepultus jacet, quid loquitur *c. sanè 15. q. 1.* Et ubi ebrietas ibi furor *c. venter. distinct. 15.* qui omninò inhabilem ad emendum facit personam.

### IIIX. Tutor à pupillo non rectè emit.

*per l. si in emptione 34. §. fin. ff. h. t.* nam nemo sibi ipsi auctor existere potest, ut regula habet *in l. 1. ff. de auct. tut.* Atqui tutor in hoc fieret sibi ipsi auctor, quando contraheret cum pupillo, refert enim personam pupilli in administrandis negotiis *l. tutores 6. ff. de auct. tut. l. 4. 5. & 7. eod.* Si verò alterius tutoris auctoritas intervenit, optimè emere vendere potest. *l. pupillus 5. ff. d. t.* Valet etiam emtio, si res pupilli sint publicè venales, & tutor palam bonaque fide emat. *l. non existimo 54. ff. de admin. tut. l. non licet 46. ff. h. t.* Bona autem fide tunc emere censetur, quando justo (non minori) pretio tutor emit, contractusq; pupillo expedit. *Sicha. ad Rubr. C. de cont. empt. n. 11.*

### IX. Medi-



## IX. Medicus ab ægroto.

Venditio morbi tempore facta non valet. *l. archiatri 9. C. de profess. & med. & l. si medicus 3. ff. de extraord. cognit.* idque ob publicam utilitatem, ne fiant iniquæ extorsiones: siquidem ægrotus ut sanitati consulat, vel iniquissima etiam promitteret. *Pinell. ad l. 2. C. de resc. vend. p. 2. c. 2. n. 33. Treutl. v. 1. d. 28. th. 3. l. b. Fach. 2. cont. cap. 25.*

## X. Advocatus à cliente.

Eandem ob rationem; etenim æquè ex parte clientis metus subest (quia veretur ne maneat indefensus) inque persona advocati extorsio præsumitur, ac in medico & in ægroto. Videri potest *tex. l. quisquis 6. §. præterea 2. C. de postuland.*

## THESIS IX.

*Objecti species duæ sunt: res & precium. Illud vocatur objectum quod, seu ratio quæ; hoc objectum sub quo, seu ratio sub qua. Res, seu objectum quod, vel est in hominum commercio, vel non est in hominum commercio; in hominum commercio consistens est, quæ sua naturâ legeq; permittente haberi possideriq; potest.*

In objecto æquè disconvenientia ut in subiecto apparet. Nam quemadmodum propter diversa, quæ in emptione personæ subeunt officia, diversa sortiuntur nomina: ita etiam ob diversum originem operandiq; modum res diversis efferuntur nominibus. Venit enim res à venditore, pretium ex parte emtoris præstandum est. Res comparatur pretio non precium re. *l. nec emptio ff. h. t. l. interdum 73. ff. de V. O. l. 15. in pr. ff. de pign. Azo in summ. C. h. t.* Rei autem vocabulum quia æquivocum admodum, ita ut in latissima sua significatione vix quoq; describi possit, lubet potius de ejus æquivocatis



quivocatis tacere, quam pauca adsignare. Latius enim patet quam reliqua omnia *l. rei 5. § l. rei 23. ff. de V. S.* unde & Græcis vix vocabulū extat, quod verbo rei respondet. Id tamen quod hujus loci est annotare volumus. In latissima sua significatione tam comprehendit, precium, quam rem in specie ita dictam, ut hic sumitur. Sed ita hic rei vocabulum non posse sumi, patet ex eo quia ad emptionis contractum requiruntur diversæ objecti species, nimirum res & precium, unde necesse est ut hic inter se opponantur. Sumitur proinde res hic in specie pro re vendibili quæ precio comparatur, cujus dominium venditor si habet ad emptorem devolvere tenetur, alias sufficit ut præstet emptori rem habere licere *l. servus 30. §. 1. ff. de act. empt.* Oportet autem necessariò, res seu merces intervenire, quippe quod absq; illis nec emptio nec venditio consistere possit *l. nec emptio 8. ff. b. t.* quæ ita debent esse qualificatæ, ut in hominum commercio sint. Nam illarum rerum, quæ nec haberi nec possideri possunt emptio corrumpitur *l. si emptione 34. §. 1. ff. b. t. l. si stipulor 35. ff. V. O.* impossibiliumq; obligatio est nulla *l. impossibile 185. ff. R. I. l. impossibile cõditio 7. ff. V. O.* Quæ igitur vendi emi possunt, sunt res mobiles & immobiles, *l. si in emptione 34. §. omniũ rerũ 1. ff. b. t.* corporales & incorporales, ut nomina & actiones *t. t. C. de her. vel act. vend. quarũ venditione invitis etiam & ignorantibus creditoribus l. nominis 3. C. § l. nomina 17. ff. de her. § act. vend. vid. l. 1. C. de novat. in fin. Wes. in w. cod.* non attenda actionis vel debiti qualitate consistere putamus *per l. fin. C. de her. § act. vend. § d. l. nomina d. t.* modo facta sit priusquam lis contestaretur *t. t. C. de litig. Myns. 1. obs. 55* nec alienentur in potentiorum *l. 2. C. ne lic. potent. Bach. ad Treutl. b. d. th. 4. l. b.* quamvis universales, uti hæreditates *l. 1. ff. de her. vend. § passim*: modo ille defunctus à quo hæreditas profluit, cum viventis nulla possit esse hæreditas. *d. l. 1.* Sciendum hoc in loco, etsi regulariter venditores de evictione teneantur, quamvis non promiserint *per l. non dubitatur 6. C. de evict. l. in venditione 66. ff. b. t.* tamen hæreditatis venditorem ad peculiarium rerum evictionem obligatum non esse. *per tex. expr. in l. 1. § l. 2. C. de evict. alienæ & propriæ l. rem alienam 28. ff. b. t. l. ex empto 11. § imprimis 2. ff. de act. empt.* alienam si partes ignorant, aut ad minimum emptor *l. si præfidi 1. C. de reb.*

D

alien.



*alien. non alien.* dictum namq; est sufficere ut venditor præstet rem habere licere *l. rem alienam 28. ff. b. t. Wesin π. b. t. n. 7. Treutl. d. d. th. 4. l. c.* Propriæ autem rei emptio tum demum valet, si fiat sub conditione *l. existimo 61. ff. b. t. l. existimo 98. ff. V. O.* alias enim valet regula quod meū est, illud amplius meum fieri nequit *l. neq; 45. R. I. §. si in rem 10. Inst. de leg. §. sic itaque 14. In. de act. l. suæ rei 16. ff. §. l. 4. C. de contr. empt.* præsentis & futuræ: de præsentibus in sequente capite dicetur. Futuræ sub conditione emuntur venduntur: Nam planè quædam non existunt, quædam verò existunt quidem, sed non possidentur. Quæ non existunt, vel futuræ sperantur, vel non futuræ sperantur: illæ rectè venduntur, sed ita ut emptio tum demum valeat, si existunt, quamvis minima ex parte *l. necessario 8. ff. de per. & comm. rei vend.* hæ non ritè venduntur, siquidem rei nullius nulla est emptio. Quæ existunt, etsi non mihi, rectè venduntur: ut est piscium captura, quæ venditio valida est, quamvis nihil capiatur *per. l. nec emptio 8. §. aliquando 1. ff. de cont. empt.*

### PORISMATA.

I. Sententiam Camerae, quod annui reditus die wiederkauffliche Zinse emi-vendi possint, juribus esse fundatam asserimus.

Annui reditus sunt si quis pro centum florenis promittit annua quina, ex fundo aliquo vel domo census nomine vel pensionis præstanda: & de talium dubitatur emptione an valeat; videtur namque talis contractus usurarius. Sed contractum hunc non esse usurarium, multis probat *Geil. 2. obs. 7.* Quia hic nihil est accessionis loco, sed precium datur in pecunia primaria, merx redditur in reditibus: neque ex nuda pecunia quæritur fructus, sed comparatur jus recipiendi annum redditum. quod est concessum *per tex. in l. jubemus 2. §. verum. C. de SS. Eccles. & Novell. 160.* ubi talis emptio approbatur & expressè distinguitur à contractu mutui & usurario. Quæ opinio & Pontifici placet *in c. regimini 1. & c. regimini 2. de empt. & vend. in extravag. comm.* Nec displicuit Carol. V. qui certas hac de emptione anno 30. 48. & 50. Augustæ promulgavit constitutiones, dubiumq; prorsus exemit.

II. Sci-



II. Scierem alienam emens, re evicta ad  
restitutionem pretii non agit.

*per tex. l. si fundum 27. C. de evict. Et quia scienti nulla fit iniuria l. nemo videtur 145. R. I. nullusque dolus scientibus volentibus infertur. l. cum donationis 34. C. de transact. Nec sciens volens decipitur, nec de dolo potest conqueri. l. 1. in fin. ff. de act. empt. & l. in venditione 41. eod.*

III. Venditor qui reitradendi facultatem habet domini-  
um in emptorem præcisè transferre  
tenetur.

Quamquam non ignoramus, quod in utramque partem hac de re admodum speciose disputetur, tamen quia affirmativa sententia veritati magis consentanea videtur, nos haud inviti & illi subscribimus. Est enim emptio contractus bonæ fidei, cujus natura est, ut id, de quo conventum est præstetur *l. ex empto 11. §. 1. ff. de act. empt. l. cum venderem 21. ff. locat.* jam verò agitur ut res & pretium tradantur. E. Deinde à contractu bonæ fidei longè remotus esse debet dolus & malafides: in manifesto autem dolo & malafide comprehenditur, qui rem possidet præstandi quæ facultatem habet, nec tamen eam dare vult. Quæ sententia manifestè fundatur *in l. si quis argentum 35. §. ult. C. de donat. & §. alia autem 2. Inst. eod.* ubi donatio & venditio comparantur quo ad tradendi necessitatem. Videantur etiam sequentes leges, quibus exprimitur venditorem ad rei præstationem obstrictum esse. *l. ex empto 11. §. 2. & l. 30. §. 1. ff. de act. empt. l. 68. §. 1. ff. h. t. & §. sed & 1. Inst. h. t.* ubi additur vocabulum omnino. & *l. 46. ff. de act. empt.* qua lege annotentur verba, *cogetur implere*, quæ arguunt absolutam tradendi necessitatem. Postremò si ex sententia adversariorum id tantum quod interest debet præstari, sequitur quod illo dato contractus rescindatur. Sed non rescinditur contractus etiam si vel duplum numerare paratus sit venditor, *l. 6. C. de resc. vend.* quam quantitatem tamen interesse æstimatio quæ venditionis excedere nequit. *l. un. C. de sent. qua pro eo quod int.* E. Et absurdum esset periculum ad emptorem spectare debere, nec tamen



unquam ejus dominum nisi pro placito venditoris fieri posse. Et hæc sententia arridet. *Ampliss. Dn. Arumæo disp. 14. ex. 2. & Acutissimo Dn. Riemero decad. 10. q. 9.*

#### IV. Pupillus rem sua pecuniâ emptam à tutore utili vindicatione petere potest.

Res licet aliena pecuniâ comparetur, regulariter tamen cedit ei qui illam emit, unde & illi tantum vindicatio ejus attribuitur, non pecuniæ domino *l. si ex ea pecunia 6. C. de R. V.* Ratio autem ejus est, quod alias fieret compensatio de quantitate ad speciem, quod non est permissum in jure *per l. si convenerit. 18. ff. de pign. act. & annotat. Marant.* sub finem speculi in singularibus juris, vocabulo *Res emptæ.* Sed ab hac regula excipitur Pupillus, *l. 2. ff. quand. ex fact. tut. min. ag. poss. l. idemq. est 7. ff. qui pot. in pign. l. 2. C. de arbitr. tut.*

### THESIS X.

*Res extra hominum commercium consistens est, quæ naturâ, lege vè hominum commercio exempta est; cujus exemptionis causa duplex: una juris naturalis, altera juris civilis.*

Cum videremus longissimo intervallo, res quæ emi-vendi prohibitæ sunt, distare ab illis, quæ vendi possunt, rati sumus nos non iniquè facturos, si peculiari th. illas subjeceremus. Quantum igitur ad res in commercio non existentes attinet, diximus quasdam prohiberi à jure naturæ, quasdam à jure civili *l. si in emptio. me 34. §. 1. ff. h. t.* Quæ à jure naturæ prohibentur, iterum sunt in duplici differentia. Quædam enim planè non sunt, nec fore sperantur, ut homo mortuus, navis submersa *§. 1. Inst. de inut. stipul. l. si homo 69. ff. V. O. l. si duos 44. & l. domum emi 56. in pr. ff. h. t. Vult. l. 1. c. 35. I. R.* quarum rerum nec æstimatio quidem debetur. *per d. l. si homo 69. ff. V. O.* Quædam sunt quidem, sed propter ad hærentem qualitatem earum comércio interdictum est.



est: ut sunt, res divinæ: id est, sacræ, sanctæ & religiosæ (de quarum differentia vid. §. 8. 9. & 10. *Inst. R. D.*) §. *fin. Inst. b. t. l. sed Celsus 6. l. hanc legem 22. l. 34. §. l. ff. b. t.* etiam nec quævis aliæ res ecclesiasticæ *l. jubemus 14. C. de SS. Eccl.* Quanquam autem harum rerum non valet emptio, tamen ad id operatur, ut ignorans emptor, adversus venditorem, actione ex empto, possit experiri, ad consequendum id quod intererat ne deciperetur. *l. & liberi 4. §. l. qui officii 62. §. ff. b. t. §. ult. Inst. b. t. Wes. in c. h. n. 7. Liber homo. l. si Celsus 6. sapius d. l. si in emptione 34. §. liberum. t. liberi 70. ff. b. t. l. qui sciens 33. ff. de liber. caus. l. ult. quib. ad libert. proclam. l. usucapionem ff. de usucap.* Quæ à jure civili emi-vendi prohibitæ sunt, etiam habentur in duplici differentia. Quædam enim res prohibentur universis, quædam verò certis tantum personis. Quas res jus civile in universum omnibus interdixit sunt: Res publicæ & universitatis *t. t. C. de vend. reb. civit.* quæ tamen debitis cum solennitatibus *l. fin. C. d. t.* id est, adhibitâ singulorum nominum, aut ad minimum partis majoris universitatis expressione, vendi possunt. *Bart. in l. cotem ferro. 11. §. fin. ff. de publ. & vectig. & in l. continuus 137. §. cum quis 6. ff. de V. O. Bald. in l. civitas, in fin. ff. de reb. cred.* Res furtivæ seu vi possessæ. *§. furtivæ quoq; 2. Inst. de usuc. d. l. si in emptione §. item si & emptor 3. ff. b. t. l. incivilem 2. C. de furt.* Dotales immobiles inæstimatæ, & donatæ propter nuptias *l. unic. §. pen. & ult. C. de rei ux. act. l. lex Julia 4. & t. t. ff. de fund. dotal. §. 1. Inst. quib. alien. licet, ubi Schn. Myns. & Wesenb. & c. cum contingat 28. de jurejur. Auth. si qua mulier. Auth. sive à me. C. ad SC. Vellej.* Res litigiosæ. *l. 1. §. 1. ff. quæ res pign. vel hyp. data oblig. non poss. l. 1. §. 1. l. fin. & Auth. nunc si heres C. de litig. ubi Cujac. in c. nisi alienatio forsan sit necessaria l. lite pendente 2. C. de litig. l. peto 69. §. 1. ff. de leg. 2.* Utpote ex causa dotis, donationis propter nuptias, divisionis, transactionis, legati, &c. *l. censemus 4. vers. exceptis C. de litig.* qua de re etiam in præcedente th. paucis egimus. Venena mala, in hominis scilicet perniciem præparata. *L. quod sæpè 35. §. veneni mali ff. b. t.* Nam qui talia vendit tenetur ex *L. Cornelia*, si homo illis perit, æquè ac si occidisset. *l. 3. C. ad L. Corn. de ficar.* Sunt autem mala venena duplicia. Quædam temperamento adhibito possunt.



salubria fieri: ut est Arsenicum & mercurius sublimatus, ejusq; generis alia periculosa venena, quæ artificiosa medicorum compositione salubria redduntur. Aconitum quod nimio suo calore facillimè hominem suffocat; nisi oxymeli vel simili misceatur. Cicuta, quæ propter nimio frigidam naturam hominis vitæ insidiatur & adversatur; nisi vino mixta vel simili aliquo. Quædam non possunt salubria fieri, licet vel maximè ingredientia adhibeantur, ut est serpentum virus. Illorum commercium prohibitum non est simpliciter, sed inter certas personas, ut medicos & pigmentarios & similes concessum *l. quod sæpè 35. §. veneni mali. in fin. ff. h. t.* Horum commercium omninò est interdictum: quia nunquam nisi ad hominis perniciem haberi possunt. *d. l. quod sæpè §. veneni mali.* Quas res jus civile certis quibusdam personis interdixit, sunt: purpura & sericum & ejusmodi res similes, *de quibus in l. i. C. quæ res vend. non deb. §. l. fin. C. de vend. reb. civ. arma reipublicæ hostibus l. 2. C. quæ res expor. non deb. Schn. ad §. fin. Inst. h. t. Wes. h. t. Vult. d. c.* Liberi etiam, ne à parentibus vendantur prohibitum est hodiè; nisi famis necessitas urgeat. *l. si quis 2. C. de patr. qu. fil. pr. distr.* olim namq; ex l. XII. tab. absq; limitatione permissum erat patribus filios ter vendere.

## PORISMATA.

### I. Res furtiva empta-vendita vindicatur non re- fuso precio.

*per l. incivilem 2. C. de furt. l. 3. §. l. si mancipium 23. C. de R. V. l. super empti 16. C. de evict. §. §. fin. Inst. de O. quæ ex del. nasc. ibi: sive alius quilibet sive sit apud bonæfidei possessorem, sive non: sive emens protestatus fuerit, sive non. Ratio quia protestatio non est modus transferendi dominium l. id quod nostrum est 11. R. I. §. Riemerus in prælectionibus suis Justin. ad h. t.* Quin potius ista protestatio dolum arguit: ex nimia enim diligentia præsumitur, dolum *juxta l. si quis sub conditione 7. ff. de cond. inst.* Deinde & hoc modo aperiretur via ad emendum res furtivas, quod prohibitum est. *arg. c. erit autem 2. dist. 4. l. conventionum 5. ff. de pact. Col. decis. 26. Reinh. p. 1. diff. 14.*

II. Ad



II. Ad anatomen Medicis ultimo supplicio destinati vivi non rectè venduntur.

Sententiæ enim executio mandanda est carnifici non Medico, cujus ars pertinet ad hominis salutem non ad perniciem. *l. 1. § 1. ff. de extraord. cogn.* Quia & hoc casu homini facilè præberetur ansa ad desperandum. Solet autem hic objici illud crudele non esse, si paucorum interitu pluribus aliis innocentibus remediatur. Resp. maximè hoc esse crudele: & quamvis Herophilus & Erasistratus damnati à Regibus vivi inciderunt in manus eorum, qui ad hoc deputati erant, ut considerarent quomodo hominis natura, etiam spiritu adhuc existente in hominis corpore, esset constituta: tamen id inter Christianos concedendum non est. Illis enim religio est admittere malum ut eveniat bonum, etsi id publicè expediat: præsertim cum interdum casus accidant, in quibus id satis expediri possit, ut in gladiatoribus, militibus, vel in illis qui à latronibus excepti sunt vulneribus.

III. Cadavera autem horum optimè vendi possunt. *Col. decis. 147.*

IV. Patribus non matribus permissum est tempore famis filios vendere.

*per l. 2. C. de patr. qui lib.* Etsi enim causa principalis non est vendendi filios patria potestas, tamen est causa sine qua non, quæ cessat in matribus.

THESIS XI.

*Precium est pecunia numerata certa & taxata quantitate, pro qua res comparatur; quod aut certum per se, aut certum relatione ad aliud.*

Vocabulum pretii quia æquivocum, distinguendum est in sua æquivocata. Sumitur autem pretii vox potissimum tribus modis. 1. Latè, pro eo quod quamlibet rem compensat, & hoc modo



modo idem significat quod præmium, ut in vers. Ennii apud Cic.  
O Tite, si quid ego adjuto, ecquid erit pretii? II. Stri-  
ctius, pro mercede, quæ merces propria est locationis, ut in pr. Inst.  
de locat. & cond. l. fin. §. fin. ff. ad L. Rhod. de jact. l. si quis 10. §. fin. ff.  
de acquir. poss. III. Strictissimè, pro precio emptionis, quate-  
nus consistit in pecunia signata, seu nummis publica forma per-  
cussis l. i. in pr. ff. h. t. qui pro re vendita dari solent: & hæc pre-  
cii consideratio est hujus loci. Approbavimus in ð. distinctio-  
nem precii: ubi aliud certum est per se & aliud relatione ad aliud.  
Certum per se est, quando in conventionem precium determinatè  
exprimitur, quantum sit & esse debeat. Vult. pr. Inst. h. t. Certum  
relatum est, quando non expressè in conventionem determinatur  
precium, sed per demonstrationem refertur ad id, ex quo facile  
colligi potest quantum esse debeat; veluti ad quantitatem antea  
determinatam, vel in loco existentem: ut si res venditur tanti,  
quanti in arca possidetur l. venditio 7. §. hujusmodi 1. & l. si quis  
37. ff. h. t. Bach. ad Treut. h. d. ð. 6. l. d. Illud constat quod precium om-  
ninò ad hunc contractum requiratur, cum sine eo emptio con-  
sistere nequeat l. inter patrem 2. §. 1. & pr. Inst. de contr. empt. l. pa-  
ta conventa 72. eod. cujus dominium etiam debet in venditorem  
transferri l. i. in pr. ff. de perm. l. 19. l. ut res 53. ff. h. t. Treutl. h. t. 6.  
Estq; pro specifica hujus contractus differentia, quia in eo con-  
tradistinguitur permutationi, in qua discerni nequit, quod sit pre-  
cium, quæ verò res, uter sit emptor vel venditor l. i. §. 1. ff. h. t. l. i. in  
pr. ff. de rer. perm. Mozz. h. n. 3. Schurf. cent. 3. conf. 8. n. 1. Tradidimus  
in descriptione, precium esse pecuniam numeratam, quod pro-  
batur per §. item precium. Inst. h. t. l. 7. §. fin. ff. & l. empti fides 9. C.  
eod. l. si certos 37. ff. de V. O. Nec refert quod pecuniæ nomine non  
tantum numerata pecunia, verum etiam omnes res, tam soli, quam  
mobiles & tam jura quam corpora comprehendantur l. pecuniæ  
nomine 222. V. S. Sumitur enim vocabulam pecuniæ tripliciter:  
generalissimè ut in d. l. 222. & in l. rei §. de V. S. cum ad omnia re-  
fertur quæ in patrimonio nostro sunt. Angustius aliquanto, &  
sic eas duntaxat comprehendit res, quas Paul. in l. 2. §. creditum 3.  
si cert. pet. in suo genere sumtionem accipere ait: id est, quæ pon-  
dere,



dere, numero & mensura constant. *Strictissime*, pro pecunia numerata, quæ acceptio huc quadrat, ut ex sup. alleg. II. colligere licet. Item precium esse taxatæ & certæ quantitatis, quod intelligitur ex §. *sed & Inst. b. t. l. certum 6. ff. de reb. cred. l. 7. & 37. ff. b. t. Oldend. cl. 4. act. 1. Conn. l. 7. comm. c. 6. n. 7.* Intelligimus autem hic quantitatem non physicam quæ consistit in dimensione; quomodo Joachimicus aureum superat florenum: sed virtualem quæ consistit in sueto valore; quomodo florenus aureus dignitatis & æstimmii pondere superat Joachimicum.

## PORISMATA.

### I. Emptio-venditio uno nummo facta non subsistit.

Quia unus nummus est principium precii, non ipsum precium; quemadmodum unitas principium numeri, non ipse numerus. Deinde quia pretium & nummus inter se opponuntur. *l. si quis 10. §. fin. ff. de acquir. poss.* sicq; tantum imaginarium pretium, quod non sufficit ad hunc contractum. *arg. l. imaginaria 16. R. I. l. nuda 55. ff. b. t.* Quamvis autem talis non valet, in vim tamen ejus quod actum est subsistit, *ut in l. empti fides 9. C. b. t. ubi valet in vim donationis.*

### II. Emptio-venditio per relationem ad arcam valet.

Quia ibi est certa quantitas *l. hæc venditio 7. ff. b. t.* quæ etsi ignoratur, nihilominus tamen certa est. Quia nulla differentia inter illa verba: quantum pretij in arca habeo, & illa, eo pretio, quod in arca habeo, utrobique enim designatur quantitas. *Fach. 2. contr. 1.*

## THESIS XII.

*Emptio est contractus de re certo pro precio emenda. Venditio autem contractus de re pro certo precio vendenda.*

E

Hæc-



Haftenus egimus de generali hujus contractus definitione, paucis quoque nunc perlustrabimus ejus speciales definitiones. Quia verò supra differentiae empti & venditi mentionem fecimus, ne actum agere videamur, illud repetere nolumus. Notandum saltem quod in definitionibus vocabulis, emendâ, vendendâ usi sumus, idq; propterea, quia & pretii & rei datio in futurum differtur. *Bach. ad Treutl. dis. d. 8. 2. l. a.* nec dominium venditione transit, sed & emptor & venditor manent domini, usque dum res tradita est *l. si ager 50. ff. de R. V. & l. pen. C. eod. l. alienatum 67. V. S.* Etenim solus consensus perficit emptionem. *l. 1. § 2. ff. de perm. l. 2. ff. de O. & A. & l. 8. ff. de per. & com. rei vend.* licet interim non negemus, necessitatem consequentiae in rei & pretii traditione esse: videlicet nisi velit condemnari ad interesse *l. contractus 17. ibi: vel contractum perficere & c. C. de fid. instr.* Quare distinguimus inter contractus perfectionem & ejus confirmationem, quia contractus rei traditione impletur. *§. 2. vers. & ad exemplum Inst. de novat. Hill. ad Don. l. 12. c. 10. l. e.*

## PORISMA.

### I. In re obtinenda duobus diversis temporibus vendita, praferimus illum cui primò tradita est.

*tex. expr. in l. quotiens C. de R. V. & l. multum interest 6. vers. fin. C. si quis alt. vel sib.* Nec hic habet regula locum, qui prior tempore potior jure habetur: solo enim emptionis titulo, & sic ex nudo contractu non transfertur rei dominium *l. pen. C. de R. V.* Multum etiam operatur traditio & domini translatio, ut patet ex *l. si à Titio 72. ff. de R. V. & l. 2. ff. de except. rei vind. & tmd.* Et habet locum illa regula in hypothecis, ubi praecipuè prioritas temporis observanda est *t. t. ff. qui pot. in pign. hab.*

THE-



## THESIS XIII.

*Accidentia seu affectiones hujus contractus sunt du-  
plices: quedam induunt naturam pacti, quedam  
non induunt. Quæ pacti naturam induunt, vel  
faciunt id simpliciter, vel sub pœna.*

Emptionis tum definitionibus, tum divisionibus omni-  
busq; requisitis perspectis, superest ut in ordine ejus accidentia  
paucis prosequamur. Quod autem pacta emptioni-vendi-  
tioni possint adjici extra omne est dubium *t. t. C. de pact. int.  
empt. & vend.* quod commune habet cum cæteris contractibus,  
quæ legem & formam dant contractui *l. 7. §. quin imò 5. ff. de  
pact.* Sed ut dictum est, quedam adjiciuntur simpliciter, quedam  
sub pœna. Simpliciter quæ adjiciuntur, sunt: Pactum de re-  
trovendendo, quod fit, cum res ea lege venditur, ut quocunque,  
vel certo, vel præscripto tempore, sive ab ipso venditore, sive ab  
ipsius hærede, precio oblato, res vendita vicissim restituatur.  
*l. 2. C. de pact. int. empt. & ibi Dd. l. si vir uxori 12. ff. de præscr. verb.  
& in fact. act. Geil. 2. obs. 2. n. 4. & 5.* Pactum legis commissoriae,  
quo pacto ita cavetur, si ad diem præscriptam pecunia non solva-  
tur, res sit inempta. *l. 1. 4. & 6. §. 1. & 2. & t. t. ff. de leg. commiss.* Pa-  
ctum quod vocatur in diem addictio, quo utimur quando res ita  
venditur, si intra certum tempus quisquam meliorem adfe-  
rat conditionem, illi addicatur. *l. 1. & 2. & t. t. ff. de in die. ad-  
dict. Conn. l. 7. c. 8.* In meliore conditione intelligitur omne id,  
quod utilitatem venditoris concernit: ut si pretio quidquam ad-  
datur, si sit solutio facilior vel maturior, &c. *l. 1. & 4. §. melior  
conditio l. 5. & 6. ff. de in diem add.* Attamen hoc obtinet quar-  
do revera offertur melior conditio, non si per simulationem em-  
ptor à venditore subjiciatur. *l. ubi autem 4. §. cum igitur 5.  
d. t.* quia simulata conditio habetur pro nulla. Sub pœ-  
na adjicitur arrhæ datio. Nam arrhis interventis non prius



est liberum ab emptionis contractu recedere, quam sub illarum amissione *pr. Inst. h. t. l. sed Celsus 5. ff. h. t. l. 3. & 6. C. de resc. vend. & tot. t. quand. lic. ab empt. reced. l. contractus 17. C. de fid. instr.* sunt & alia pacta infinita, quæ huic contractui possunt adjici, quæ apud Dd. videantur. Mej. in colleg. Arg. hic.

## PORISMA.

### I. Iniquum est à perfecto contractu sub arrharum amissione recedere.

Inventus enim ad rescindendam venditionem urgeri non debet, quamvis vel duplum offeratur *l. 6. C. de R. vend.* Quia & absurdum est, id quod ad contractus confirmationem adjectum est ejus contrarium operari debere. Quin imò si unius voluntate non contrahitur emptio, nec & unius voluntate debet dissolvi *l. 1. ff. de resc. vend. & arg. l. nihil 35. R. I. §. 4. Inst. quib. mod. obl. solv.* Deinde contractus ab initio sunt voluntatis, ex post facto autem necessitatis. Nec nocet, quod solet objici ex *pr. Inst. h. t.* emptioni imperfectæ arrhas inutiliter & frustra accedere. Resp. Contractui imperfecto utiliter adjiciuntur in hunc finem, ut altera pars eo melius cogi possit ad perficiendum contractum, ni arrhas amittere velit. Et fortiter sic colligitur ex *hujus tit. pr.* Quo casu impunè à contractu receditur non datis arrhis, eo casu datis arrhis non impunè receditur. Atqui ab imperfecto contractu impunè receditur non datis arrhis. Ergò & ab imperfecto contractu datis arrhis non impunè receditur. Connexio majoris probatur ex *pr. Inst. h. t. vers. donec aliquid deest ex his sine pœna receditur ab emptione*: cui in oratione, particula causalis *nisi* exceptivè subjicitur, ibi: *nisi arrharum nomine aliquid datum fuerit.* Cum itaque in *vers. donec* Imperator egerat de imperfecta emptione, necessariò sequitur quod & in subsequentibus de imperfecta emptione loquutus fuerit. Deinde dictionis *Nisi*, ea vis & natura est, quando sequitur orationem affirmativam. ut sit exceptiva. *Exerb. in loc. à contr. sensu n. 27.*

## THESIS



## THESIS XIV.

*Quæ accidentia non induunt naturam pa-  
cti sunt actiones; quarum alia empti, alia  
venditi. Actio ex empto est jus, quo emptor  
in judicio à venditore persequitur id quod sibi  
debetur. Ex vendito autem est jus, quo ven-  
ditor in judicio persequitur id quod sibi ab em-  
ptore præstari debetur.*

Optimâ sanè ratione constitutum reperitur, ut is, qui propria  
authoritate & sine judice sibi jus dicit, vel per vim quod suum est,  
vel sibi debetur, acquirere vult, jus illud quod habet amittat. *l. 1.  
§. 1. ff. quor. leg. l. extat 13. ff. quod met. cau. l. pen. §. ult. ff. ad L. Jul. de  
vi priv. l. si quis. C. unde vi §. 1. Inst. de vi bon. rapt.* nam singulis non  
est. concedendum, quod per magistratum publicè fieri potest, ne  
occafio publico tumultui præbeat. *l. non est 176. R. I. Col. in præf.  
proc. exec. n. 11.* Et hac de causa judiciorum vigor, jurisque publi-  
ci tutela in medio est posita, ne quilibet privatus sibi attribuat ul-  
tionem *l. nullus 13. C. de Jude.* quia alias Harmonia imperantium &  
obsequentium vinculumq; imperii & obsequii facile violaretur,  
& disrumperetur. Unde tam variæ actiones sunt introductæ, ex  
quibus hic tantùm de duabus agemus, nimirum de actione ex em-  
pto & actione ex vendito. Definivimus autem hæc actiones se-  
cundum normam præscriptum *in pr. Inst. de act.* & sumimus hoc  
modo jus pro actione juris; fundamentum relationis pro relatione  
ipsa: sicut & sæpè apud Philosophos fundamentum pro ipsamet  
æσδ propter minimam relationis entitatem usurpari consuevit.  
Agit autem emptor ad id quod interest sua, scilicet ut rem ven-  
ditam, ejusq; vacuam possessionem *l. ex empto 11. §. 3. §. 1. ff. de act.  
empt. §. l. cum res 12. C. de probat. accipiat.* Ex vendito agit vendi-  
tor *§. 1. Inst. h. t.* ad ea consequenda quæ ei ab emptore præstari o-  
portet



portet. *l. Julianus 13. §. 19. ff. de act. empr.* scilicet ut accipiat pretium unà cum usuris, à tempore moræ *l. fructus 13. C. de act. empt. l. 5. C. de pact. int. empt. l. 32. §. 2. l. evictio 18. §. fin. ff. de usur. Old. d. l.* Nam ad rescindendam perfectam venditionem non facile conceditur actio, nisi ab initio inter contrahentes sic conventum fuit *l. venditi actio 6. C. de act. empt.* Committitur autem mora, simul ac traditio rei facta est *l. curabit Praeses 5. C. de act. empt. l. 13. §. ex vendito & seq. ff. de act. empt. Myns. 4. obs. 56.*

## PORISMATA.

### I. Periculum rei venditæ ante traditionem quoque ad emptorem spectat.

Perspicuus & clarus *tex. est in §. 3. inst. h. t. l. 7. 8. & 11. ff. de per. & com. rei vend. l. 4. 5. & 6. C. eod. l. 34. §. pen. ff. h. t.* Argumento etiã est, quod venditor tantum est obligatus ad custodiam, præstatque solum dolum & culpam, qui non tenetur de periculo rei, & interitu naturali *§. cum autem 3. v. quicquid. Inst. h. t. l. 2. §. 1. cum seq. ff. de per. & com. l. contractus 23. R. I. l. 2. §. 1. ff. commodati.* Excipiuntur tamen res fungibiles, quarum periculum ad emptorem non pertinet, nisi sint ad mensuram & ad numeratam *l. quod saepe 35. ff. h. t. §. in his Inst. & l. 8. ff. eod.* Non obstat: In cuius dominio est res, ad illum pertinet & periculum *l. pignus C. de pign. act.* Resp. periculum rei pertinet ad illum in cuius est dominio, nisi ille simul sit ejus debitor: casum enim fortuitum à nullo præstari debere dicit *l. 23. R. I.* Deinde Venditor est dominus rei commutabilis, quia emptor habet actionem. *arg. l. is qui 15. R. I.*

### II. Venditor vacuum rei possessionem tradere & in emptorem transferre tenetur.

Alias quoniam dominium non transit. *per l. 2. §. 1. l. 3. §. 2. ff. de act. empt. l. 8. C. eod. l. 33. ff. locat. Per l. 18. ff. de vi & vi arm. hoc disertè proba-*



probat. ibi enim à colono venditoris non admissus, nec civili-  
ter possidet, nec interdicto utitur. Et qui non est missus in va-  
cuam possessionem illi non competit actio in rem *l. qui pradium*.  
*13. C. de distr. pign. & l. in rem actio 23. ff. de rei vind. §. 1. Inst. de act.*

## THESIS XV.

*Contractus empti-venditi rescinditur mo-  
dis duobus: vel beneficio l. 2. C. de resc. vend.  
vel jure ἀποτιμήσεως, seu retractus ut vo-  
cant. Beneficium l. 2. est restitutio in integrum  
competens læsi ultra dimidium.*

Egimus hucusque de modis constituendi contractum: su-  
preum nunc est ut & de modis resolvendi pauca adjiciamus.  
Resolvitur autem hic contractus modis potissimum duobus, ut  
dictum est: de primo hic agemus qui datur *ex l. 2.* Etsi enim  
naturaliter sit permixtum contrahentibus se invicem decipere  
*l. in causa 16. §. pen. ff. de minor. l. si voluntate C. de resc. vend.* quilibet  
namque lucri causa hunc contractum suscipit, **Ein jeder sucht  
sein bestes**: non tamen id de fraudulenta deceptione exaudi-  
endum est, sed de læsione quæ re ipsa & contrahentium incuria  
accidit. Et talis læsio suam habet rationem quod toleretur,  
si quidem circumventus videtur damnum sua culpa sentire, qui  
pluris emit cum poterat minoris emere. *l. pen. §. pen. ff. de jur.  
& fact. ign. l. quod quis 203. R. I.* Dolum autem omninò excludi-  
mus ab emptione, quia est contractus bonæ fidei *l. si  
dolo C. de resc. vend. Old. d. l. Cujac. ad  
novell. 97.*

PORI



## PORISMATA.

### I. Dolus contractum empti-venditi ipso jure facit nullum.

Quia est contractus bonæfidei qui consensu perficitur (de contractibus enim bonæfidei qui re perficiuntur, nonnulli dubitant, quam tamen litem jam nostram non faciemus) cujus proprium est bonafides *l. 5. eleganter, verb. nullam esse venditionem ff. de dol. mal. l. si quis 36. V. O. l. domum 57. in fin. ff. h. t. §. actionum. Inst. de act. l. un. §. sed. etsi C. de rei ux. act.* Propria autem ab illa re cujus propria sunt abesse nequeunt, quia fluunt ex internis rei principiis. Denique nihil tam contrarium est bonæfidei quam dolus *l. 3. ff. pro soc.*

### II. Remedium l. 2. quoque ad emptorem pertinet.

Quia correlatorum eadem debet esse ratio: & eadem etiam ratio in illis est quo ad circumventionem, ergo & eadem ratio requiritur quo ad restitutionem *l. 16. §. 4. ff. de min. l. 22. §. 1. ff. locat.* Deindè proxima restitutionis causa est læsio, quæ æquè militat pro emptore quam venditore: jam sufficit similia in eo convenire de quo agitur, *ut Dd. notant ad L. 1. C. de in integr. rest.*

### III. Venditio facta per modum progressionis, seu in proportione dupla, tripla vel quadrupla & ultrà, non valet.

Continet enim plerumque dolum; contractus autem dolo initus non valet: & conditionem impossibilem; impossibilem autem nulla obligatio *l. 185. R. I.* & læsio enormis dolo æquiparatur, quia non datur absque dolo *l. si superstiti in fin. C. de dol. mal. §. l. omnes 17. §. Lucius 1. ff. quæ in frau. cred. Geil. 2. obs. 147. n. 8.* quemadmodum in tali facti specie & Witebergæ pronunciatum fuisse asserit.



rit Forste. in tr. de dominio c. 8. n. 153. Ubi quis vicino suo hortum cum omnibus pertinentiis vendiderat, hoc adjecto pacto, ut pro quinquaginta arboribus, tantum tritici grana, in proportione quadrupla solverentur. Sed quia ille contractus dolo carere non potuerat, rescriptum fuit, contractum illum omni jure fuisse irritum & invalidum. Und seyð ihr demnach / weil der contract null vnd nichtig zu achten / auch derselbe weder von Euch oder einem Andern kan gehalten werden / einigen Abtrag zuthun / oder das interesse zu præstiren nicht schuldig / V. R. W.

## THESIS XVI.

*Jus retractus seu retractus ut vocant, est duplex: aliud competit ratione familie, aliud ratione communionis; Illud datur proximis ad recuperanda bona avita Quod ratione communionis competit, cõceditur vicinis ad tollendum conventiones & difficultates hominum.*

Cum acerbum satis & durum esse conjicere facile liceat, avitas paternasque domus, ut & antiqua majorum prædia, videre in alienas externasque transire manus, optima sanè ratione introductum videtur, quod quis jure retractus id iterum, quod alienatum, possit consequi. Competit autem ex una familia natis, ratione proximitatis, ut quanti domus vel fundus est venditus, tanti potius habeat. l. 35. ff. de minor. l. qua tutores 22. C. de administ. tut. l. 38. ff. de rei vind. Rauchb. p. 1. q. 43. si integrum & justum proximus offerat pretium l. Julianus 13. S. offerri 8. ff. de act. empt. nam si justum pretium agnatus vel proximus non offert, res potest cuicunq; lubet vendi. Post trinam verò factam denuntiationem planè removentur proximæ personæ. Geil. 2. obs. 29, n. 8. De jure retractus

F

ratione



ratione communione seu divisionis, wegen des Gespeldes  
*vid. Col. decis. 229. & Rauch. d. q. n. 22.* Competit autem maximè ob  
hanc rationem stantibus in communione, ut tollat lites. *l. in re 26 ff.*  
*de S. V. P. l. qui neg. 8. in fin. ff. de reb. eor. qu. sub tut. sunt. l. si non sortem*  
*26. §. si centum 4. ff. de cond. indeb.* sæpè namque accidit, ut in com-  
munione stans suam partem corrumpi patiatur, eo quod alteri in-  
videat. *l. meminimus 2. C. quand. & quib. quart. pars deb. l. quidam 21.*  
*ff. si cent. pet.* De aliis videatur *Vult. l. 1. c. 35. J. R.*

### PORISMATA.

**I. Qui jure retractus utitur, tenetur omnes sumptus &  
expensas, tempore contractus factas refundere,  
auch den Weinkauff.**

*per l. intra utile. §. fin. ff. de minor.* Non autem intelligimus sum-  
ptus nimios & non necessarios, sed quos præsumptive etiam & ille,  
qui retrahit, impendisset. *l. in fundo 38. ff. de rei vind. Geil. 2. obs. 19.*  
*n. 9.*

**II. Etiam quod proxenetis datum est, den Unterhän-  
delern debet restitui.**

Quia in genere omne id quod volente & jubente venditore,  
datum est debet restitui *l. cum autem 23. §. 1. juncta l. debet 27. in fin.*  
*ff. de edil. edict.* Hiscè cum Deo finimus, cui  
laus & honor in excelsis.



Ad





Ad Præstantiss. Dn. Respondentem,  
amicum & consalinum amicissimum

ἔϋϕημισμὸς.

**S** Alana velat impiger palæstræ  
astes extiteras SCHAPERÆ, circum:  
sic nec Leucoreæ putas timendum,  
sed sacre Themidi acriter litandum,  
quando venditionis emptionisq;  
amplis sat thesibus sat eruditis,  
momenta & varios refers recessus,  
incudi subigisq; veritatis.

Grator! pergito strenuus palæstræ  
hæc fervere, petita vel Salanæ  
næ! vel Leucoreos feres brabeæ.

M. Gottfridi Olearii F. Phil.  
Adjuncti.

ALIU D.

**Q**uæris cur Logicæ SCHAPERUS inhæserit olim?  
In promptu causa est: perstudiosus erat.  
Non datur ad summas aditus planissimas artes,  
Præclusum si non ars ea monstret iter:  
Sacrum Jus tractat tantum non sola RELATA:  
Hinc Schesis ex Logicis adsit oportet agris.  
Quid sit consensus, contractus & emptio nescis,  
Si nescis isthæc continuasse Schesin.  
Bellarmine putes nugæ schesin esse, Jehovæ  
Si solet ad normam justificare fori!

F 2

Nugæ x



Nugax in sacro non justificatio jure est:  
Emptio respectum vera perinde tenet.  
Et sunt in magno respectus jure reales:  
Et solet hoc pacto justificare DEUS.  
TU SCHAPERRE scheses didicisti sedulus olim,  
Nunc prodis gazæ condita dona tuæ:  
Macte vir! haut pigeat sumptus depromere: præsto est  
GREX qui alias cornu divite reddet cpes!

*deproperab.*

M. Georgius Großhain.

F I N I S.















































Ka 3897a

(x 261 7073)

VD17









<sup>VII</sup>  
DISPUTATIO JURIDICA 7  
*De*  
**EMPTI-VENDI-**  
**TI CONTRACTU,**

*Quam*  
DEO ter Opt. ter Max. adjuvante  
*Consensu & Auctoritate Magnificæ Nobilissimæ  
& Amplissimæ Facultatis Juridicæ*

*Sub*  
PRÆSIDIO  
*Amplissimi, Consultissimi, Excellentissimi*  
VIRI

**DN. CONRADI CARPZOVII J.U.D.**  
Profess. publ. Curiā Provinc. Consistorii Ecclesia-  
stici, Facultatis Juridicæ, VVittebergæ; & Electoralis, per  
inferiorem Lusatiam, judicii, Adessoris &c. gravissimi, p.t. DE-  
CANI spectatissimi, Præceptoris & Promotoris perpetuâ  
animi observantia reverenter prosequendi,

*IN*  
Electoralis ad Albim Academia  
*Examini publico subijciet*  
**FRANCISCVS Schaper/**  
BRUNSVICENSIS,

*Ad diem 4. Januarij, In Audit. ICtorum.*  
~~~~~  
WITTEBERGÆ,  
Charactere JOBI WILHELMI FINGELII,  
ANNO 1630.